

**N**OS PETRUS BLAHO, IURIS UTRIVSQUE DOCTOR, CANDIDATUS SCIENTIARUM, IURIS ROMANI PROFESSOR ORDINARIUS, RECTOR MAGNIFICUS CELEBERRIMAE UNIVERSITATIS TYRNAVENSIS, universis lecturis tam praesentibus quam futuris salutem in omnium Salvatore. Quoniam procul dubio ad nostra pertinet munera non solum, ut Almam Matrem nostram Tyrnaviensem ad prospere succedendum in disciplinarum modernarum progressu provehamus, sed ut etiam memoriam eius fide historiae contestatam animo teneamus, honorabili **SENATU NOSTRO ACADEMICO** approbante decrevimus fundare, erigere ac constituere **INSTITUTUM HISTORICUM UNIVERSITATIS TYRNAVENSIS**. Cui Instituto nostro erit propositum primum officia litterarum diligenter exsequi et documenta cuncta tabulario universitatis legitime consignare, item Universitatis Tyrnaviensis res, quae gestae sunt inde a temporibus Petri S.R.E. cardinalis Pazmanii, fundatoris eminentissimi et generosissimi, per saecula fausta et infausta usque ad hanc aetatem, pervestigandas adjuvare, instruere ac promovere, postremo monumenta scripta et picta has res gestas illustrantia, quae in tabulariis asservantur et patriis et exteris, e quibus maximi momenti esse videntur tabularia Budapestina, Vindobonensia et Romana, omnia investigare, annotare, describere vel si fieri potuerit antitypice expressa colligere eo scilicet consilio, ut hanc rerum silvam tali modo comparatam im promptu habeant professores, doctores, adlati universitarii scholaresque gradum doctoris petentes, qui historiam Universitatis Tyrnaviensis non alienam a se putent. In votis sane habemus, ut opera huius Instituti imago historica Almae nostrae Matris designetur verissima in contextu cultus atque humanitatis cum Slovaciae tum Europae totius. Volumus plane et explicite, ut Instituto supra dicto curae singulari sit in medium proferre commentationes, collectanea librosque de historia Universitatis Tyrnaviensis disserentes. Quorum praemissorum omnium in fidem, testimonium, firmitatem perpetuam hasce litteras dedimus signatas subscriptasque nominibus nostro scilicet nec non praesidis illustrissimi senatus academici nostri et sigillo maiore Universitatis ornatas, munitas, corroboratas. Actum **TYRNAVIAE** die duodecimo mensis Octobris Anno Domini bis millesimo uno, litteris redditum et sollempniter publicatum ibidem die duodecimo mensis Ianuarii Anno Domini bis millesimo sexto.



Petrus Blaho  
Rector

Johannes Jakubík  
Senatus academici praeses

Josephus Šimončíč  
Notarius